

Q. D. B. V.

DE

DESIDERIO HOMINIS  
INFINITO

DISSERTATIO

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

VILELMO HENRICO

SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN-  
GARIAE ET VESTPHALIAE DVCE  
RELIQVA

PRAESIDE

IO. IACOBO SYRBIO

PHILOSOPHIAE PRIMAE ET RATIONALIS  
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

PATRONO PRAECEPTORE ATQVE HOSPITE SVO  
AETATEM VENERANDO

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT  
AVCTOR DEFENDENS

IOANNES MATTHIAS RITTERVS

FRANCOFVRTENSIS AD MOENVM  
SACR. LITTERARVM CVLTOR.

---

AD D. SEPTEMBRIS CIO IS CC XXVI.

---

IENAE  
TYPIS MVLLERIANIS.

DESIDERIO HOMINIS  
INFINITO

LECTORI ACADEMIAE MAGNETICENTRISTAE  
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DUCIS  
BOHEMIAE

VILHELMO HENRICO

SAXONIAE INVICI CIVIS MONACHUM AN  
GARETE ET WESTPHALIAE

JO. JACOBO ZYRBLIO

LECTORI ACADEMIAE MAGNETICENTRISTAE  
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DUCIS  
BOHEMIAE

JOHANNES MATTHIAS RITTERVS

PHYSICVS ET MATHESICVS  
ACADEMIAE MAGNETICENTRISTAE

IN VNIuersitate MAGNETICENTRISTAE

ANNO MDCCLXXII

1772



## DISSERTATIONIS DE DESIDERIO HOMINIS INFINITO

### CONSPECTVS

- |  |  |
|--|--|
| §. I. Argumenti momentum, et ratio tractandi.                                      | §. XI. Neque minus in actu secundo.                                    |
| §. II. De voce desiderii.  | §. XII. Alia huius rei indicia.  |
| §. III. Variæ variorum definitiones.   | §. XIII. Vtriusque generis desiderium naturale homini esse.            |
| §. IIII. Quid nobis sit in genere et speciatim in actu primo.                      | §. XIII. Testimonia Scripturæ S. ex veteri.                            |
| §. V. Quid idem in actu secundo.   | §. XV. Et nouo testamento.   |
| §. VI. Infinitum quid et quotuplex.  | §. XVI. Testimonia Theologorum, imprimis B. Musæi.                     |
| §. VII. Omne infinitum perfectionem inuoluerè, et quodnam homini sit desiderabile. | §. XVII. Philosophorum antiquorum testimonia et philosophiæ barbaricæ. |
| §. VIII. Naturale quid, et unde cognoscatur.                                       | §. XVIII. Platonica,   |
| §. VIII. Quid sit desiderium infinitum in genere et in specie.                     | §. XVIII. Aristotelica,  |
| §. X. Desiderium hominis infinitum esse in actu primo.                             | §. XX. Stoica,   |
|  | §. XXI. Epicuræ,   |
|  | §. XXII, XXIII, XXIII. Recentiorum varii generis.                      |
|  | §. XXV. Conclusio.   |

## I. N. I.

## §. I.



**D**ESIDERIO, rebus finitis numquam fatiando, adeoque *infinito*, stimulari naturam nostram, omnes quidem sentimus, et nemo negare audeat facile, quin, vel ipsa conscientia impellente, passim fatentur eruditi: pauci vero vel satis illud considerant, vel ad finem utilitatemque, ab auctore naturæ propositam, referunt. Mores enim hominum si spectes; plerique, pro corruptæ naturæ peruersitate, bonis caducis et finitis intenti potius, curis studiisque alienis illud insumunt, et ab infinito fine auerunt. In doctrina vero id neque virgei ac demonstrari satis, neque quid inde sequatur, æque obseruari videtur ab omnibus. Immo non desuere, qui, vitium et impotentiam illud interpretantes, non tam satiandum, quam abrogandum, vel supprimendum, putant. a) Quo idem præcepisse mihi videntur, ac si quis esurienti, vel sitienti non de cibo potuue prospiceret, sed finem sitimue, tamquam cupiditates inanes tranquillitatemque turbantes, deponere iuberet miserum. Nempe quum a natura sit desiderium istud; non vult expelli sed iuvari ac regi recta ratione. Quod quidem aliter fieri non potest, quam

a) Stoici imprimis ita videntur sensisse, & quibus SENECA lib. VII. de benef. cap. II. Voluptatem, inquit, æqualem, inuupidam, numquam sensuram sui radium, percipis hic, quem dormamus cum maxime: qui, ut ita dicam, diuini iuris atque humani patitur, presentibus gaudet, ex futuro non pendet, nihil enim firmi habet qui in incerta propensus est; Magnis itaque curis excipitur, et distortis mentem, nihil sperat aut cupit, nec se mittit in dubium, suo contentis.

quam si et finis ei respondens, et necessitas ac ratio ad eum contendendi, ostendatur. Sic vero vel solo infiniti, desiderii argumento, philosophiam, speciatim iuris naturalis disciplinam, non huius vitæ felicitate circumscribendam, sed ad æternum quoque et infinitum quærendum imprimis instruendum esse hominem, facile efficitur. Nolo in præsentî reliquos vsus edisserere, et, quam ad ipsam naturam nostram declarandam, proprietatesque illas præcipuas, quibus a mutis animantibus distingui- mur homines, a priori, quod dicitur, cognoscendas, quin et ad DIVINI NUMINIS existentiam demonstrandam, item ad notitiam eius insitam vindicandam valeat, eius desiderii observatio, deducere vberius. Quum vero in ipsa quoque diuinarum litterarum interpretatione idem aliquando supponendum videatur; non alienum a studiorum meorum ratione fuerit, primo huius desiderii rationem explicare, tum vero aliqua eius indicia et argumenta rationi obuia exponere, denique dicta quædam notabiliora ex Scriptura Sacra pariter & Scriptoribus omnis generis aliis citare in testimonium, illorumque imprimis verum sensum paullo curatius, breuiter tamen, pro instituti modulo, rimari.

## §. II.

Primo autem, ne in ambiguo vacillemus, status quæstionis formandus est. Atqui de desiderii nomine non opus est verbis multis. Siue enim astronomorum sit vocabulum, a *fideribus* deductum, tamquam de illis petas aliquid, a) siue aliam habeat originem; pro qualicunque *adpetentia, expectatione, amore, studio, cupiditate*, vel etiam pro nuda *propensione*, illud subinde dici, vsus loquendi satis ingerit. Et, quamuis aliquando specialius

A 3

suma-

a) quod placet FESTO et ex eo VOSSIO in *etymolog.* et SCALIGERO, *exercit.* 317. §. 3. aliisque.

sumatur pro *postulatione, rogatione*, immo etiam pro *libello supplici*; a) quemadmodum in aliis quoque facilis ac sollemnis applicatio generis ad species est: nobis tamen communioris ac generalioris significationis rationem imprimis habendam esse, satis liquet.

§. III.

Ad rem ipsam quantum attinet; plerique in definiendo desiderio ad significatum vocis *materiale* potius, quam *formale* et *abstractum*, respexisse videntur. Ita, quum Stoici definiuerunt illud, *libidinem videndi eius, qui nondum adest*; b) alia quoque desiderari, nemo negauerit. Peripateticis, ac Scholasticis imprimis, ad appetitum *concupiscibilem* illud referri solet ac defini *adfectus, seu appetitus, boni absentis*. c) At, siue appetitus *concupiscibilis* in eo distinguatur ab *irascibili*, quod ille bonum malumue in se spectatum, hic vtrumque sub ratione ardui et difficilis respiciat; siue, quod ille ad voluptatem feratur, hic a dolere moueatur; siue denique, quod ille ad corpus eiusque illecebras, hic vero ad animum magis pertineat: in vno non minus, quam in altero deprehendes desiderium. Angustioribus limitibus illud circumscribit CARTESIVS: d) *desiderium, inquit, est quoque species tristitia, quae specialem amorem in eo habet, quod semper iuncta sit cuidam desperationi et recordationi delectationis, quam nobis attulerit fruitio. Numquam enim desiderio adficimur, nisi ex bonis, quae quondam possedimus, et quae ita perierunt, ut nulla spes super sit ea recuperandi, eo tempore et modo, quo nos illa desideramus. Praterquam enim, quod alibi e) vulgarem opinionem, qua cupiditas vel desiderium auersioni opponitur, ipse impro-*

a) Vid. CASARE. ad SVETON. Aug. c. XVII.

b) ap. CICERON. lib. IV. Tusc. quest. c. IX.

c) Vid. VOSSIVS institut. orator. lib. II. c. I. §. 3.

d) de passionib. anima p. III. art. 209.

e) lib. cit. p. II. art. §7.

improbet; non solum bona, præsentia et absentia, præterita et futura, consequi, sed et mala omnis generis auertere cupimus ac desideramus. Qua de causa neque viro doctissimo, ARNOLDO VESENFELDIO, adstipulari possumus, qui a) desiderium opponit auersationi, definitque amoris impetum, quo in rem bonam ac naturaliter amatam feramur; neque IULIO CAESARI SCALIGERO, qui, b) in eundem ferme sensum, adpetitum intensum placitæ rei esse dicit. Peculiaris sententia est IO. LOCKII c), desiderium anxietatem animi propter carentiam boni absentis, atque a voluntate, quæ hac anxietate determinetur, probe distinguendum, esse. Vbi cuiusdam desiderii effectum potius, quam desiderium ipsum in genere, describere videtur. Ideo quippe angimur, quod bonum desideratum absens sit: quod, si præsens nobis esset, non angeremur quidem, sed desiderarem tamen, quatenus gratum illud nobis esset.

## §. III.

Sed non licet in præsentia aliorum definitiones pluribus expendere. Ut paucis multa dicam; plerique certam quandam desiderii speciem designasse, omne vero desiderium minime videntur exhaustisse. Mihi vero tam amplo sensu sumitur vocabulum, ut omnes actiones & passionnes voluntatis, et in his eius propensiones quoque, completatur, atque proinde vna definitione commode satis explicari vix possit. Aliud quippe desiderium notat in actu primo, aliud vero in actu secundo, quem vocant Scholastici, spectatum. d) In actu primo est dispositio, vel, si mauis, propensio

a) in georgic. animi et vite p. II. cap. I. §. V. conf. cap. XV.

b) exercit. 310.

c) lib. II. de intell. hum. c. XXI, §. 30. seqq.

d) Vid. celeberr. mei Præsidis philos. prima p. I. c. VI. §. 4. Conf. eiusd. philosophia rational. p. I. s. XIII. §. 93. p. 300. seqq. edit. secund.

*penſio ad aliquid conſequendum vel auertendum.* Vbi tamen *diſpoſitionem* non eo ſenſu dicimus, quo uulgo in prædicamentis dicitur qualitas, de ſe facile mobilis de ſubiecto, quæ huic non det primam operandi facultatem, eam tamen aliquo modo adiuuet et facilitet, ſed quo æquiualeat propenſioni, hoc eſt eiſmodi rei modo vel formæ, qua illa ad aliquid agendum patiendumue, ad commodata eſt. Neque conſequendum vel auertendum tam ſtriçte ſumi uelim, ut bonum malumue futurum tantum notare cenſeatur, ſed pro omni eo, quod gratum vel ingratum eſſe poteſt, ſiue præſens ſit, ſiue præteritum, ſiue futurum. Nam ſi præſens eſt bonum deſiderabile, eius conſeruationem; ſi præteritum, eius reſtitutionem, ſi futurum, eius aduentum deſideramus. Malum autem omnis generis auertere cupimus. Vno nomini res exprimi poteſt, ſi dicas deſiderium illud eſſe propenſionem in aliquem finem. Vbi notari uelim, ad deſiderium in actu primo ſpectatum non requiri cognitionem obiecti deſiderati actualem, neque adeo huc pertinere tritum illud; *ignoti nulla cupido.* Sufficit enim indigentia et, ſi deſiderans adquietſcere non poſſit, niſi conſequutus fuerit obiectum illud. Interim tamen, quum deſiderium iſtud in actum ſecundum tendat neceſſario, pro pondere ualere poteſt, quo deſiderans in cognitionem boni deſiderati pertrahatur.

## §. V.

In actu ſecundo deſiderium eſt *motus*, ſeu *conatus*, *uoluntatis ad aliquid conſequendum vel auertendum.* Vbi adparet, quomodo ab amore hoc deſiderium differat. Hic nempe, ſi generaliſſimi dicatur ſenſu, eſt ſpecies deſiderii, quo fertur uoluntas in *bonum poſitiuum conſequendum*; quum illud etiam feratur in malum auertendum. Speciatiim uero amor rerum intelligentium, ſeu *perſonarum*, unionem uoluntatum requirit, ſaltem ut amans alterius commoda finesque ueros itidem uelit. Sed et ab *adfectu ſenſuali* in genere diuerſum



sum est actuale desiderium. Etsi enim adfectus omnis desiderio constat, atque obiectum gratum et ingratum habere potest; non omne tamen desiderium adfectus est illico: quia ad hunc motus voluntatis vehementior, extraordinarius et præternaturalis requiritur; ad illud vero naturalis sufficere potest.

## §. VI.

*Infinitem* est, quod nullis limitibus circumscriptum est. Pro diuersitate limitum, vel rerum potius, quæ illos non admittunt, diuersa infinitorum genera statui possunt, ut aliud infinitum dicatur respectu durationis, quod *æternum*; aliud respectu presentia, quod *immensum*, aliud respectu perfectionum in genere, quod *infinitem* simpliciter et *κατ' ἐξοχην* adpellari consuevit. In applicatione non illud tantum infinitum statui potest, quod per se terminos omnes excludit, sed et, cuius obiectum est infinitum. Illud *formaliter*, hoc *obiectiue* infinitum dixeris, stilo Scholastico. Adparet autem, in nostra quaestione, alterum significatum, vel alteram infiniti speciem, locum habere potissimum. Quamuis enim et formaliter infinitum dici possit desiderium hominis, quatenus nimirum et beatorum amorem erga DEVM et gaudium; damnatorum vero tristitiam ac dolorem æternum complectitur; hoc tamen sensu vix demonstrari potest rationibus philosophicis; maxime, si desiderium obiectiue infinitum non supposueris.

## §. VII.

Ceterum obseruandum heic paucis est, omnem infinitatem perfectionem notare illius rei, cui tribuitur. Quum enim quod perfectissimum non est, in quolibet genere, certis limitibus conclusum esse, intelligatur: quidquid est sine limitibus, eatenus perfectum esse, necesse est. a) Neque obstat, quod et malum datur infinitum, quemadmodum

B

dum

a) Conf. CLAVBERG. Log. veteris et nouæ p. IV. c. IV. §. 26.

dum de aeterno damnatorum supplicio ex theologia reuelata docemur. Nam et heic datur perfectio; non eorum quidem, qui puniuntur, sed pœnæ ipsius, quam infinitas auget et adgrauat supra, quam dici potest. Sicut autem, qui malum ipsum auerfatur, eius infinitatem non potest non horrere: ita non nisi illud infinitum desiderabile homini est, quod bono tribuitur.

## §. VIII.

Porro *naturale* hoc loco vocamus, quod ita conuenit rei, cuius respectu ita dicitur, *ut, salua eius essentia, abesse non possit*. Cuius rei indicium est, si eiusmodi adfectio omnibus, quæ unius speciei esse dicuntur æque sit communis; item, si cum proprietate aliqua essentiali cohæreat necessario. Fieri tamen potest, ut, quod naturale est, varie adplicetur, vel non æque se exferat in omnibus. Ita naturale est animali adpetere cibum: etsi huius adpetentiæ actus in statu morbofo se non exferat. Si etiam homo, verbi causa, adpetat cibum, quem auerfatur alius, adpetitus in genere manet homini naturalis et necessarius: adplicatio vero eius ad hunc præcisè cibum contingens, adeoque non naturalis est; quia esse potest homo, qui hunc cibum non adpetat. Cauendum igitur est, ne res naturalis cum eius vfu et adplicatione misceatur.

## §. IX.

Ex dictis adparet, *desiderium infinitum* in genere esse *desiderium boni infiniti*; in actu primo vero, *propensionem ad bonum eiusmodi*, et in actu secundo denique, *actualem voluntatis motum, seu conatum, ad illud*. Adparet etiam, vtriusque generis desiderium eo sensu homini tribui, ac *naturale* dici, quod salua eius essentia abesse ab eo non possit.

## §. X.

Iam desiderium in actu primo infinitum, hoc est propensionem ad bonum infinitum, inesse homini, ex eo satis manifestum est, quod nullum bonum finitum nominari possit,

fit, quo homo adquiescere possit, etiamsi velit, vel hoc se velle, contendat, quam maxime. Etenim, si finita esset propensio, bonis etiam finitis satiari posset, ut homo, vno, vel pluribus, vel omnibus, obtentis, adquiescere tandem posset, nihilque desideraret præterea. Contra, qui finitis satiari non potest, eum ad infinitum propendere, planum est. Iam vero nihil esse bonorum finitorum, quo expleri possit hominis animus, non solum propria quemuis conscientia, sed et perpetua de aliis docet experientia, ut ad omnes applicari suo modo possit, quod de Alexandro Macedone, regibus Persiæ, et reliquis, quos fortuna irritauerit, disserit SENECA. a) *Nec hoc Alexandri tantum vitium fuit, inquit, quem per Liberi Herculisque vestigia felix temeritas egit, sed omnium, quos fortuna irritauit implendo. Cyrum et Cambysem et totum regni Persici stemma percense. Quem inuenies, cui modum imperii satietas fecerit? qui non vitam in aliqua ulterius procedendi cogitatione finierit? Nec id mirum est, quidquid cupiditati contigit, penitus hauritur et conditur: nec interest, quantum in id, quod inexplebile est, congeras. Quod si fieri posset, ut bona finita omnia conferrentur in vnum; hoc ipsum tamen molestum ei foret, doloremque et amplius concitaret desiderium, quod derelinquenda tandem essent. Quin et, si usus finitorum infinitus, absque obiecto infinito, immortalitasque fruētis supponi posset: ut, vno pluribusue pereuntibus, noua semper succederent, eumque delectarent, continenter: primo quidem, immortalitatem ipsam iam bonum infinitum esse, cogitandum est; deinde vero quin homo eiusmodi plura et maiora semper, inprimis vero amatorum semel constantiam et perpetuitatem, desideraturus foret, nullus dubito. Præterea non est, ut pro statu plane confecto, nec facile probabili, contendamus, quidque in eo fieri possit vel non possit, constituamus.*

B 2

Sufficit

a) lib. VII. de benef. cap. III.

Sufficit enim, non dari, nec dari posse, statum, ubi bonis finitis conquietescere possit homo.

§. XI.

Sed et in *actu secundo* desiderium hominis infinitum esse, ex ipsa eius natura et ratione planum est. Omnes homines *finitum* cogitare, necesse est. Singulis enim momenti ferme aliquid perire, vel saltem mutari, deprehendimus, ut desinat esse, quod fuit antea, si non secundum essentiam, secundum accidentia saltem. Sic autem quod fuit, et non est amplius, finitum esse intelligitur. Atque hinc idea *finiti* nobis ingeritur in abstracto. Ea namque intellectus humani natura et indoles est, ut, quod multis commune esse deprehendit, separet ab his, quæ singulis peculiariter conueniunt, atque deinde vna communi idea comprehendat. Vnde est etiam, quod loqui, atque vno vocabulo plura designare possumus a). Fieri autem non potest, ut, qui *finiti* ideam sibi format in abstracto, *infinitum* simul non cogitet. Sicut enim, si vocem spectes, *infinitum* est negatio *finiti*: ita, quoad rem, *finitum* potius est negatio *infiniti*, qua nempe continuatio et constantia durationis, perfectionum, presentia, negatur. Quidquid autem negas, eius etiam ideam quandam confusam saltem, habebis. Et quid aliud innuunt vocabula *infiniti*, *æterni*, *immensi*, *immortalis* et similia, in omnibus, credo, linguis vsitata, quam communem omnibus infinitatis notionem? Neque enim nomen habere potest, quod menti non obuersatur. Rursus, qui infinitum cogitat, non potest non perfectionem eius rei cogitare, cui infinitas tribuitur; quemadmodum paullo ante b) obseruauimus. Perfectio in se boni rationem habet. Bonum cognitum autem omnes volunt necessario. Neque enim

in

a) qua de re videri potest inter alios IO. LOCKIUS de intell. hum. lib. II. cap. XI. §. 9. seqq.

b) §. VI.

in eo libertas arbitrii versatur, quod bonum cognitum desiderare possis et non desiderare, sed in hoc potius, quod possis illud querere et non querere, itemque hoc et alio modo querere a). Quum igitur infinitum cum finito cogitat homo, illudque perfectum, atque hinc bonum esse, deprehendit, non potest *actuali* eius desiderio non incitari. Quin et, si bona finita omnia consideret, hoc ipsum, quod non perennia, sed peritura, deprehendit, dolebit quasi, et hinc infinitatem desiderabit.

## §. XII.

Sunt alia huius rei indicia, veluti, quod mortem horremus natura, non tam ob dolores, cum quibus ea haut raro coniuncta est, quam ob interitum, et quod vitam, bonorum presentium fundamentum, semper conseruare cupimus; item, quod foetida, et quae corruptionem habent, auersamur. Neque nihili est, quod CARTESIVS inculcauit de *idea infiniti et perfectissimi*, si eam non actu nobis inhaerere, et innatam esse, sed desiderio nostro ac naturali animi dispositione prouocari quasi, cogites. Sed haec et alia huc pertinentia, pluribus expendere non permittit instituti nostri ratio.

## §. XIII.

Ceterum vtriusque generis desiderium *naturale* homini esse, facile liquebit, si *naturalis* rationem et indicia, supra obseruata, huc adplices. Primo enim omnibus commune illud esse deprehendimus. Et quamuis multi rebus caducis et finitis illud insumant, vt his, quae certissime peritura esse sciunt, in infinitum frui, quam

B 3

infinito

a) Hinc recte docet HORNEIVS *philos. moral. lib. II. cap. V. §. 18.* voluntatem non libere, sed necessario serui in bonum vniuersale; quod, quidquid volumus, non possumus non sub ratione boni velle. Et, quamuis homo bona particularia velle et nolle possit, quatenus mali aut molestiae aliquid coniunctum habeant, aut habeat certe videantur: PER SE tamen et illa NECESSARIO adpeti.

infinito vero et vnico potiri, mallent; in eo tamen omnes conueniunt, quod infinitum desiderant in genere, neque alio, quam infinito bono satiari possunt, et adquiescere. Ipsum autem desiderium cum eius usu et adplicatione non esse confundendum, iam antea monui. Illud a natura eiusque auctore, huius vero peruerfitas ab homine et corruptione est; illud necessarium homini, hæc libera; illud simplex et constans, hæc multiplex et varia est. Deinde cum proprietatibus hominis naturalibus quoque tam arcte idem coniunctum esse, manifestum est, ut facultatem intellectus abstractiuam et naturam voluntatis prae omnem deleretur videri possit, quisquis illud extirpare instituerit. Quam autem frustra esse non possit, quod naturale est, quanti facienda sit huius desiderii obseruatio, non potest esse obscurum. a)

## §. XIII.

Neque est, ut hominem per corruptionem natura, quæ plenius ac distinctius in sacris litteris describitur, a DEO, vno & solo bono infinito, plane auersum esse, neque adeo fieri posse, obiciat, ut, quem fugit maxime peccator, eundem ut bonum infinitum desideret. Multum enim differunt desiderium infiniti boni in abstracto et desiderium DEI, itemque desiderium DEI et amor DEI. Quamuis enim præter DEVM bonum omni ratione infinitum inueniri non possit; tamen, quum ad desiderium cogitatio boni infiniti in abstracto sufficiat, ad desiderium DEI vero, ut hoc ad DEVM adplices, eumque bonum infinitum esse agnoscas, requiratur; rursusque desiderium ab amore DEI in eo discrepet, quod ad hunc vno voluntatis humanæ cum diuina sit necessaria, quemadmodum ex supra dictis intelligitur: fieri utique potest, vt

a) Vid. Doctiss. mei Præsidis *philos. prim. p. I. cap. I. et II.* et loca reliqua iam supra allegata.

vt a voluntate diuina recedas longissime, adeoque non tantum non ames, sed et auerferis, eius voluntatem, et nihilominus bono infinito frui desideres, absque obsequio amoris. Immo fieri potest, vt bonum infinitum fingas extra DEVM, illudque desideres. Minime igitur, negato amore DEI, vel etiam posito odio DEI, negandum est desiderium infinitum: quamquam hoc secundum rectam rationem, et ex intentione causæ primæ, sine amore et obsequio adplicari non possit.

## §. XV.

Pergimus ad *testimonia*, in quibus principem haut dubie locum sibi vindicant diuina, quæ et pro norma valere debent Christianis, vt nec in philosophicis quidquam admittant, quod iis aduersetur vlla ratione. Quum autem varia huius generis obuia sint; nos pauca tantum, et ea quidem expendemus, quæ alias, nisi desiderium infinitum supponas, difficiliora videri possunt. In quo numero haut dubie est locus SALOMONIS, Regis: qui in libro, quo *ecclesiasten*, seu concionatorem, se gerit et proficitur, a) a nimia rerum, in mundo euentuum diuinaque providentia ordinarum, cura, seu curiositate potius, abstracturus hominem, his rationibus utitur: **את הכל עשה יפה בעתו גם את העולם נתון בלבכם מבלתי אשר לא ימצא האדם את המעשה אשר עשה האלהים** : Vbi mirum est, quantum discrepent et se torqueant interpretes. Dubium quippe videtur, quid heic notet **העולם** quod DEVS *in cor hominis indidisse* dicitur, quomodo hoc cohereat cum verbis sequentibus, et quomodo proinde reddenda sit formula connectens **מבלתי אשר**. Qui *concupiscentiam seculi*, seu, huius mundi, vel etiam *curas seculares et mundanas* b) interpretantur vocem istam

a) cap. III. §. II.

b) cum DRYEIO.

istam *הערים*, quæ impedimento sint homini, quo minus cogitet opera DEI præterita et futura, a) et DEVM concupiscentiæ inordinatæ, vanæ et inutilis, immo noxiæ, auctorem faciunt, et contrariam plane significationem particula *כלי* adfingunt, quasi nempe causalis sit ac idem notet, quod ut, quum alias negationem, et, si cum præpositionibus constructur inprimis, defectum, abolitionem, vel similia innuat potius. b) Alii, qui tempus longum et perpetuum, quod vivere putent homines, eaque de causa inhiant adquirendis rebus temporalibus, c) vel prorsus æternitatis opinionem d) supponunt, et experientia obstare videtur, quæ vitam breuem potius, artem longam, esse, ingerit; et ratio formulæ, *in cor indere*; quum error et opinio non tam in corde, quam in capite foueri dicatur. Ut taceam DEVM omnes homines erroribus implicasse, dici commode non posse, quod et ex nostratibus obseruat B. GEIERS. Quod si vitam ipsam intelligere velis cum CASTALIONE; non equidem negauerim, eius fontem esse cor; sed sic difficilis et aliena rursus est connexio verborum cum proxime sequentibus. Nec minor difficultas GROTII quoque opinionem e) premere videtur, cui DEVS mundum in corde hominum eo sensu dedisse videtur, ut multa quidem, quæ in mundo adparent, cognoscat, aliis animantibus ignota; vnde et mundum ipsius causa creatum esse, intelligere possit, sic tamen, ut non norit homo, a capite ad calcem, operationem DEI. Primo enim aliud longe esse videtur, mundum cognoscendum dare, vel proponere, quam in cor indere, quod respectum ad voluntatem habet potius, cuius officina quasi cor est. Deinde vero, si vel maxime cupiditatem vel desiderium cognoscendi res huius mundi

a) quos allegat MÜNSTERVS in loc. citatum.

b) Vid. summe reuerendi D. DANZII interpret §. 141, 2.

c) sp. eund. MÜNSTER.

d) quos allegat DRVSIVS.

e) quæ non multum differre videtur ab ea, quam alii tribuit CLARIUS.



mundi substituas cum VATABLO, quod minus haberet incommodi; sic tamen non mundus ipse sed notitia seu cognitio mundi, cordi humano implantata videri posset: Ne dicam de interpretatione vocum מכלי אטר quæ non satis commode vertuntur sic tamen vt. Aliam formulæ significationem dederunt IYNIUS atque TREMELLIUS a), sed ita tamen, vt reliqua verba mire interpolasse, et, interiecta parenthesi, distraxisse quasi, denique sensum contrarium ferme finxisse videantur. Ita enim vertunt locum: *Ipsum vnunquodque facere pulcrum suo tempore (vidi,) etiam, quamdiu seculum est, exponere animo illorum (excepto eo, quod non adsequitur homo) opus, quod facit ipse DEVS; a principio ad finem usque.* Manifeste nempe negat SALOMON, quod adfirmant interpretes isti, hominem cognoscere posse opera diuina, a principio vsque ad finem: quod, vt obtineant, מן exponunt *quamdiu*, vel hoc certe inuito contextui inserunt, limitationemque alienam ferme minusque veram fingunt, DEVM nempe opera sua, *quamdiu seculum sit*, manifestare hominibus, tamquam videlicet, finito seculo, tantum non amplius cognituris. Propius scopum attigisse videtur LVDOVICVS DE DIEV, cuius verba, b) quia instituto nostro, qua parte versus priorem saltim, adprime conueniunt, temperare mihi non possum, quin huc adscribam: *Nolim locum intelligere de vana æternitatis opinione, quasi poena sit a DEO homini inflata (qua ex hominum potius vitio profecta, quam a DEO indita videtur:) sed de testimonio benignitatis DEI, qua in ipsa creatione hominem adfecit, quod anima immortalis eum donauerit, qua non nisi rebus æternis satiari potest, quum in se æternitatem quandam habeat. Verro: Etiam æternitatem posuit in corde eorum. Sensus loci est, ne quis miretur, occupationes hominum esse meras adflictiones: nam, etsi omnia pulcre fecerit DEVS, et hoc etiam pulcerrimum,*

C

quod

a) quorum versionem etiam sequitur THOMAS CARTWRIGHT, Anglus.

b) apud POLIVM in *Synopsi Criticæ*.

quod aternitatem indiderit animo hominum; hoc tamen semper excipi debet, non posse hominem adsequi perfectionem operum diuinorum. Atque hæc etiam consentanea ferme sunt versioni XANTIS PAGINI: *Omne fecit pulcrum in suo tempore. Etiam perpetuitatis desiderium dedit in corde eorum; ut non inueniret homo opus, quod fecit DEVS a principio vsque ad finem.* Sed sicuti conuenientius reddi non possunt verba, *העולם נתן כלבם* quam perpetuitatis desiderium dedit in cor (vel etiam in corde) illorum: (quid enim aliud est æternum et infinitum desiderare, quam in corde habere?) ita duriusculum et coactum videri, non dissimulo, quod formula *מבלי אשר* conuertitur *ut*, vel *propter quod*. Neque profecto satisfacit, si, quod LVD. DE DIEV videtur innuere, significationem *aduersatiuam* addas: *tamen, ut*. Hanc enim vix permittit vsus loquendi, saltim quatenus in diuinis litteris deprehenditur. Ibi enim particulam *בלי*, cum præpositionibus constructam, defectum abolitionemue denotare, iamiam dictum a me est. Sic autem rectius reddi poterit formula; *in cuius defectu*, vel, *sine quo*. Mea igitur sententia totius loci sententia huc redibit: *Omnia (DEVS) pulcre fecit in tempore suo* (id est tam sapienter instituit et ordinauit, ut suo quodque tempore, adeoque cuncta tempestiue eueniant) *Sed et aternitatem indidit in cor illorum* (hominibus eam dedit indolem et naturam, ut non nisi æterno et infinito bono fatiari et adquiescere possint.) *In cuius defectu*, siue, *sine quo*, (antequam eo perfruantur) *nemo inueniet opus quod facit DEVS, a capite ad calcem* (id est nemo perfecte adsequetur, seu comprehendet, opera DEI consiliorumque diuinorum ordinem et rationem; quantocunque etiam adnitatur studio et labore.) Non licet in præsentis singulorum verborum rationem reddere: spero tamen, sensum non planum duntaxat et perspicuum, sed et verum et Scriptore diuino minime indignum, nihil coactum, contortum  
aut

aut alienum fore. Speciatim, vocem **עלם** *aternitatem* notare, satis exploratum omnibus est, siue originem vocis respicias, siue vsum loquendi. Aliam significationem et scopus dicti, et verborum contextus facile hoc loco excludit. Neque mouet me, quod aliqui contendunt, tum demum aternitatem notari voce illa, si cum **ל** scripta compareat. Hoc enim inane esse commentum, præter ceteros clare satis ostendit B. IO. FOERSTERVS. a) De reliquis ex iam dictis et ex vfu loquendi, Ebrais recepto, et plerisque agnito, satis constare potest. Deinde vero et scopo dicti congruere hanc interpretationem, dubitare non poterit qui eum recte astimauerit. In eo enim totus est regum sapientissimus, vt homines a curia inania, inaniue curiositate, qua nunc spem vanam concipiunt, nunc malorum futurorum sibi portendunt metum, atque hinc consiliorum diuinorum ordinem scrutari, ac declinare interdum, sustinent, auertat, et ad vitam tranquille et pie agendam instituat. Et quid euidentius sequitur ex verbis istis, ita explicatis, quam vt consilia diuina non rimeris curiose, sed iis adquiescas, bonis presentibus fruaris, ceterum DEVM semper timeas, ne futuris excidas? quæ sequentium proxime verborum summa est. Denique elegantem et emphaticam *temporis* et *aterni* oppositionem obserues, et quod ex ipsa vocis **עלם** ratione, quæ occultationem inuoluit, curiositatis vanitas, itemque ex aternitate principium et finis excludatur, et quæ sunt alia huiusmodi. Sic autem *infinite* hominis desiderium his verbis adseri, non potest esse obscurum.

## §. XVI.

Sed et in *nouo testamento* huius desiderii mentio est. Illustris imprimis, sed et satis difficilis, de eo locus est

C 2

PAULLI

a) in *diſſignario Ebr.*

PAULLI, Apostoli, a) ubi dicit: ἡ γὰρ ἀποκαταστάσις τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχεται. Omnis autem difficultas redit ad vocem κτίσις, qua nunc solem, lunam, stellas, terram et generatim creaturas omnes, quae ratione carent, nunc angelos, nunc gentes conuersas, quatenus a Iudeis distinguntur, nunc Christianos, qui olim Iudae fuerint, nunc paganos, nondum conuersos, sed idololatriae adhuc deditos, intelligunt interpretes. b) Quae omnia facile amoueri possunt, si consideres duas regulas hermeneuticas longe certissimas, quibus, ut talia constituentur subiecta, qualia esse permittuntur a suis predicatis, itemque, ne usus loquendi negligatur, significationesue vocibus temere adsingantur noua et insolita, caueri solet. In harum utramque enim interpretationes istas plerasque, omnes vero in alterutram, manifeste satis impingere, deprehendes facile, si omnia paullo curatius aestimaueris, et verba Apostoli recte inter se contuleris. Primo enim, etsi omnia, quae nominauimus, creaturas esse, nemo sanus dubitat, hoc tamen uocabulum, si absolute et absque restrictione ponatur, speciatim vel res inanimas, vel rationis saltem expertes, vel angelos, vel Christianos, siue e paganismo, siue e iudaismo, conuersos, notare, neque ex diuinis, seu veteris, seu noui testamenti, litteris, neque ex Ebraeorum scriptis, e quorum stilo subinde aliquid, certa ratione, retinuisse dicuntur scriptores sacri, facile probabitur. Deinde, ad res uiae, vel rationis expertes non pertinet profecto, expectare, et intensissime expectare, bona infinita, quibus beabuntur filii DEI, spes liberationis, quam praedicat Apostolus, suspirare et angere, et quae sunt reliqua huiusmodi. c) Angelos autem DEI quis ulla ratione subiecit uanitati?

a) Rom. VIII. 19.

b) Vid. FOLVM in *synopsi Criticor.* item S. R. DEYLINGIUM in *observationibus sacris part. I. p. 151. seqq.* siue in altera editione, *part. II. p. 272. seqq.* HAMMONDVM CLERICVMQVE in hunc locum, aliosque passim.

c) Pluribus, et erudite hanc interpretationem reuocit laudatus modo DEYLINGIUS, l. c.

nitati? Neque de paganis, in sensu diuiso, et quatenus idolatriæ adhuc dediti sunt, dici commode potest, eos expectare manifestationem filiorum DEI, et spem habere liberationis ex seruitute corruptionis in augustam filiorum DEI libertatem, quo ipso tamen non nego, vtrumque in eos optime conuenire, quatenus sunt homines, naturamque adeo habent humanam. Vnde non obstat heic nobis, quod Rabbinus aliquando vocem creaturæ pro Gentilibus, quatenus Iudæis opponuntur, sumere videantur. Et quamquam, quæ in hoc leguntur contextu, ad Christianos quoque omnis generis satis commode adplicari possunt: hi ipsi tamen neque a filiis DEI, neque ab his, qui primitias Spiritus habent, diuersi sunt. Atqui hos a creatura desiderante discretissime distinguit, neque adeo vocabulo isto comprehendere potest Apostolus. Quæ quum ita sint; hoc vnum videtur superesse, vt hominem secundum naturam suam, et quatenus homo, ceterum a regegnis DEI filius diuersus est, *κτιστὴν* seu creaturam heic adpellari, dicamus. Qui, sicuti omnium creaturarum, in hoc terrarum orbe saltim, nobilissima et facile princeps est, cuius commodis etiam destinatae sunt reliquæ: ita peculiariter, et per excellentiam quasi, hoc generali nomine, tum in ipsis diuinis litteris, tum et in Ebraeorum scriptis, subinde adpellatur. a) Huic autem omnia verissime conuenire, quæcunque creaturæ tribuit Apostolus, facile probari potest. Speciatim ἀποκαταδοχία τῆς κτιστοῦς nihil est aliud, quam infinitum, quod probauimus, hominis desiderium. Quod quum feratur in bonum infinitum, quo soli filii DEI potituri sunt, siue, quod, stilo Apostoli, in filiis DEI solis reuelabitur, eo ipso

C 3

hanc

a) Ex diuinis litteris vid. Marc. XVI, 15. et Coloss. I, 23. Rabbinorum vero exempla quædam præter ceteros colligit IÖ. LICHTENORVS ad Marc. l. c. Consi. BVXTORFFVS Lex. Rabb. Talm. v. ברירה, et Lex. Kabbalisticum v. ברירה pag. 208. seq.

hanc reuelationem exspectare dicitur. Atque hinc simul adparet, non sine emphasi, non tam hominibus ipsis, quam eorum desiderio, exspectationem tribui; vt nempe ratio et fundamentum eius indicetur. Neque profecto sufficit, si dicas cum aliquibus, exaggerationis tantum causa ita loquentum esse Apostolum. Ceterum *ματαιότης*, vanitati, seu frustrationi potius, a) itemque *seruituti τῆς Φθορᾶς*, corruptionis, b) obnoxia creatura ista dicitur, quatenus inconstantia fortunæ et morti ipsi tandem, quæ cuncta molimina euanescent, parere debet. Quod tamen non sponte sua facit, *ἔχ' ἐύσθα*; quum constantiam, perfectionemque boni et immortalitatem ipsam desideret potius; sed propter curam, qui huic miserie, inconstantia et mortalitati subiecit illam. Non incongrue quidem hoc ad peccatum a quibusdam referri solet, quatenus causa impulsiva adlegari potest pro efficiente: magis tamen proprie ad DEVM ipsum pertinet, qui, propter peccatum, et miseria per vitam omnem, et morte hominem puniuit quidem, sed ita tamen, vt spem ei relinqueret, fore, vt, per CHRISTVM, ab hac seruitute misera, qua temporis et fortunæ seruire, bonisque finitis et caducis operam dare, cogitur, liberetur, et in libertatem filiorum DEI, post hanc vitam, vindicetur, si nempe vera fide amplectatur et sequatur generis humani Sospitorem. Atque desiderium istud tamquam rem notissimam, allegat Apostolus: *Scimus enim, inquit, omnem creaturam, hoc est, omnem hominem, suspirare et parturire, inquietari et angari (desiderio suo) ἄξει τὸ ὄν, quam diu viuit in tempore.* Nemini enim tam felici vnquam esse contingit, vt variarum rerum cura non in-

qui

a) Quia scilicet non adsequimur, quod cupimus. Est enim vox *ματαιότης*; quod significat frustra. Elegantem explicationem habes ap. ERASMVVM in annotationibus ad b. l.

b) V. 22. vbi obserues *ματαιότης* et *Φθορᾶν* adhiberi pro synonymis.

quietur et angatur. Et sicuti Christiani, qui *primitias bonorum spiritualium habent*, naturam humanam propterea non exuunt, ita et ipsi, ærumnarum huius vitæ pertæsi, *intra se congemiscunt*, et nihil magis in votis habent, quam ut, *liberati a corpore*, curisque ad corpus pertinentibus, *fructus adoptionis in filios DEI, percipiant.*

## §. XVII.

Testimoniis diuinis proxime subiungenda sunt theologica; qualia ex veteribus et recentioribus plura conducipossent, nisi breuitati studendum nobis esset. Ad vnum prouocamus B. IO. MVSÆV, MA) qui, dum notitiam hominis insitam ex naturali hominum instinctu, quo in summum feruntur bonum, quosdam deriuare, ostendit, non solum testimonia patrum, TERTVLLIANI veluti, ARNOBII, MINVCII FELICIS et LACTANTII, itemque Scholasticorum, producit, sed et rem ipsam suo adprobat calculo: *Quemadmodum, inquit, rebus aliis, etiam vite et rationis expertibus, natura insita est inclinatio quadam in finem et perfectionem suam, v. g. lapidi ad motum deorsum, igni ad motum sursum, quam philosophi adpetitum innatum appellant: ita et facultatibus anime rationalis, intellectui et voluntati, natura insita esse videtur quadam in DEVM inclinatio, qua suapte natura in eum, velut in suum finem et bonum summum, propendeant.* CONDITVS ENIM EST HOMO A DEO AD DEVM, VT NISI IN DEO EIVS ADPETITVS SATIARI NON POSSIT.

## §. XVIII.

Ad philosophos quantum attinet, de philosophia barbarica respondeat IAMBLICHVS, b) qui simul, quæ de notitia

a) Introd. in theol. c. II. §. XXIII. num. IV. p. 78. collat. §. XXII. p. 58. it. in der Ausführlichen Erklärung. loc. III. quest. XVII. imprimis p. 143.

b) De mysteriis Aegypti sect. I. c. 3. p. 4. vbi conferri possunt notæ THOMAE GALEI, qui plura in hanc rem attulit ex CICERONE, DIONE CHRYSOSTOMO, CLEMENTE ALEXANDRINO, IULIANO, DAMASCIO.

notitia insita iam dicta sunt, magnopere adprobat: συν-  
πάχει ἡμῶν αὐτῇ τῇ εἰσία ἢ περὶ Θεῶν ἐμφυτος γνώσις, κρι-  
σεὶς τε πάσης ἢ κρείττων καὶ προαρέσεως, λόγος τε καὶ ἀπο-  
δείξεως πρωπαρχει: συνήνωται τε ἐξ ἀρχῆς πρὸς τὴν οἰκείαν  
αἰτίαν, καὶ τῇ πρὸς τ' ἀγαθὸν εἰσώδει τῆς ψυχῆς ἐφέσει συν-  
εφέσηκεν. *Nostri ipsi essentia penitus inest de diis innata co-  
gnitio, omni nostra facultate critica et opinione antiquior, qua-  
que rationem et demonstrationem antecorreat; utique qua iam  
tum ab initio unita fuerit propria sua causa simulque CVM ES-  
SENTIALI ILLA ANIMAE NOSTRAE AD BONVM TEN-  
DENTIA, quasi implicita coextiteris,*

## §. XVIII.

Philosophia barbarica consentanea ferme est Pytha-  
gorica et Platonica. In hac autem haut pauca infiniti desiderii  
documenta deprehendimus, quae omnia nunc non licet pro-  
ducere. PLATO ipse, a) sub persona Socratis, eleganter  
monet, Alcibiadem neque civitatis Atheniensis, neque  
Graeciae omnis, neque totius Europae, immo ne universi  
terrarum orbis imperio quidem, adquietescere posse. Ceterum  
vberiore desiderii omnis explicationem, ex huius philoso-  
phiae principiis dedit nobis IO. PICOVS COMES MIRANDVLA,  
b) ubi ita differit inter alia: *Omnibus creaturis propria est per-  
fectio quadam, ex bonitatis divinae participatione derivata. Ea  
scopus est, ad quem tendunt, eumque felicitatis gradum continet,  
cuius capaces sunt, ad quem proinde, tamquam centrum suum, e-  
mituntur. Atque hoc desiderium est, ad quod naturae instinctum  
determinare diximus, magnum divinae providentiae, qua inscii etiam, ut arcus a sagittario, ad scopum diriguntur a-  
nimi. Eo omnes creaturae DEVM adpetunt, quandoquidem omne  
bonum particulare vestigium est et participatio primi boni. Atque  
id qui-*

a) In Alcibiade II. 137. II. opp. p. 141. edit. Serranianae, Lugdunensis c.  
Mansl. Ficini p. 39. seqq.

b) In dissertatione Platonica, (quae in latinum sermonem conuersa com-  
paret in historia philos. Stanleiana p. 357. seqq.) p. II. sect. I. seqq.



id quidem in vnaquavis creatura observatur, prout plus minusue extiterit capax, pro quo etiam capacitatis gradu ad nobilem magis ignobilemve finem destinatur. Ultimus tamen omnium finis est idem, Deo frui, quousque possint. Atque ita iuxta hymnographum a), Omnia DEVM colunt et laudant suppliciter, ut Theodorus ait, ad ipsum conuersa, seque ipsi in sacrificium offerentia.

## §. XVIII.

Inter Peripateticos peruulgatus ille canon, quo finem modum aut modum habere, negant, de desiderii infinitate satis testari potest. De quo etsi multa tricari solent philosophi isti; plerique tamen ex ARISTOTELE eum probari posse, autumant. b) Ad nostrum scopum, vnicum eius locum adlegasse, suffecerit, ubi ait: c) *πλῆτῃς καὶ χρημάτων, καὶ δυνάμεως, καὶ δόξης, καὶ πάντων τῶν τοιούτων, εἰς ἀπειρον ζητοῦσι τὴν ὑπερβολήν.* Diuitiarum et pecuniae, et potentiae et gloriae et talium omnium rerum cupiditati nullum modum statuunt, nullum finem imponunt.

## §. XX.

E Stoica SENECAM initio statim huius commentationis citauimus in testimonium; qui ipse vero saepius de desiderio infinito philosophatur, ut, quum scribit ad amicum quendam: d) *Tulit te longe a conspectu vite salubris rapida felicitas, prouincia et procuratio, et quidquid ab istis promittitur, maiora deinde officia te excipient, et ex aliis alia. Quis exitus erit? quid expectas, donec desinas? habere, quod cupias? Numquam erit tempus. Qualem dicimus esse seriem causarum, ex quibus necitur fatum, talem et cupiditatum,*

D

altera

a) HIERONYMVM BENEDICTVM, cuius hymnum in amorem explicat ista dissertatio Mirandula.

b) Vid. DAN. STAHLIVS *regul. philos. p. I. disp. VIII. reg. 6. seqq.* Conf. IAC. THOMAS. in *dilucidationibus Sathianis.*

c) *lib. VII. politicior. cap. 1.*

d) *cp. XIX.*

*altera ex fine alterius nascitur.* Alibi ATTALVM ea de re producit: solebat, inquiens, Attalus hac imagine uti: Vidisti aliquando canem missa a domino frustra panis aut carnis aperta ore captantem? quidquid exceptit, prorsus integrum deuorat, et semper ad spem futuri hiat. Idem euenit nobis: quidquid expectantibus fortuna proiecit, id sine vlla voluptate demittimus, statim ad rapinam alterius erecti et attenti. Fallitur tamen, et errorem supra nobis notatum, vitium esse desiderium nostrum, philosophia extirpandum, inani iactantia, prodit, quum addit: Hoc sapienti non euenit: plenus est, etiam, si quid obuenerit, secure excipit, ac reponit, letitia fruitur maxima, continua, sua. Habet aliquis bonam voluntatem, habet profectum, sed cui multum desit a summo? hic deprimitur alternis, et extollitur, ac modo in coelum adleuatur, modo desertur ad terram. Imperitis ac rudibus nullus precipitationis scis est: in Epicureum illud chaos decidunt inane, sine termino. In consolatione autem ad HELVIAM a) rursus verum falso commiscet: Cupiditati nihil satis est, inquiens, natura satis est etiam parum; si quidem naturam humanam paucis ita expleri posse, velit, vt nihil desideret prater ea, sed bonis finitis adquiescat plene.

## §. XXI.

Porro ex EPICVRI schola ita testatur LVCRETIVS: b)

*Ergo hominum genus in cassum frustra que laborat  
Semper, et in curis consumit inanibus eum:  
Nimirum, quia non cognouit, que sit habendi  
Finis, et omnino quoad crescat vera voluptas.*

Cui, ex quorundam sententia saltim, adiungere licet HORATIVVM, qui insatiabile hominum desiderium peculiari ridet satyra, c) ex qua nunc suffecerit excerptere initium:

*Qui*

a) cap. XI.

b) lib. V. de nat. rer. p. m. 729.

c) lib. I. serm. sat. I.

*Quei sit, Meccnas, ut nemo, quam sibi sortem  
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa  
Contentus viuat: laudet diuersa sequentes?*

et medium ferme:

*Tantalus a labris sitiens fugientia captat  
Flumina. quid rides? mutato nomine de te  
Fabula narratur.*

et finem:

*Inde fit, ut raro, qui, se vixisse beatum,  
Dicat, et exacto contentus tempore vita  
Cedat, ut conuiuia satur, reperire queamus.*

§. XXII.

A præcipuis istis veterum philosophorum sectis progredimur ad recentiores, et primo quidem ad Scholasticos, qui ea de re imprimis multi sunt, et adpetitum hominis infinitum pro *pondere nature*, et recte quidem, venditant, quo is in notitiam DEI pertrahatur. Testis sit SVAREZIUS: a) *Tertia difficultas amplissimam postulabat questionem, an felicitas illa, quæ in visione DEI consistit, naturalis dici possit, et consequenter, an sit in creatura intellectuali naturalis adpetitus ad illam, vel, si ibi non est naturalis felicitas, ubi sit, vel in quo sistat naturalis adpetitus felicitatis, quem in nobis esse certo certius est, quum nihil magis naturaliter adpetamus, quam esse beati; et, aliquibus interiectis: Loquimur autem de adpetitu inuato, quem PONDVS NATVRAE adpellant: nam ille adpetitus proprie dicitur naturalis &c.*

Sed et in Cartesiana similiue philosophia explorata satis res est. Luculenta imprimis sunt verba MALEBRANCHII: b) *DEVM omnium auctorem esse, omnia propter se fecisse, et cor hominis ad se, impressione naturali et inuicta, qua ipsum indefinenter adfcit, flectere, nemo est, qui merito*

D 2

possit

a) *Metaph. t. II. disp. XXX, sect. XI. §. 36. seq. p. m. 191.*

c) *de inquir. veritate. lib. III, cap. IV, §. 1.*

possit dubitare. et rursus : a) *Quum igitur propter DEVM, propter bonum infinitum, propter bonum omnia in se complectens bona, facti simus, motus naturalis cordis nostri nunquam desinet, nisi possessione istius boni. itemque alibi : b) Vasta illa voluntatis capacitas erga omnia bona in genere, quia duntaxat creata fuit propter bonum, quod in se includit omnia bona, non potest impleri rebus omnibus, quas mens ipsi representat, tamen motus ille perpetuus, quem DEVS ipsi versus bonum imprimat, non potest sisti. Motus ille nunquam desinens perpetuam in mente necessario excitat agitationem. Voluntas quærens id quod optat, ad id adigit intellectum, ut sibi representet qualibet obiecta. Intellectus ea quidem sibi representat, sed illa menti non arripient, aut, si arripiant, iis contenta non est. Illa non arripient menti, quia sepe perceptionem intellectus nulla voluptas commitata est ; nam per voluptatem mens bonum suum degustat ; iis vero contenta non est ; quia nihil potest sistere motum mentis, præter illum, a quo motus ille excitatur, etc.*

Elegantius adhuc istud desiderium urget PETRVS GASSENDVS, ac inde animæ nostræ immortalitatem demonstrat. c) Sufficiat nobis demonstrationis, quæ tota legi et expendi meretur, initium tantum adscribere : *Altera (ratio ad demonstrandam animæ humanæ immortalitatem) potest ex appetitu homini innato deduci. Nemo quippe est, qui a morte superesse non appetat ; ac ne illi quidem, qui immortalitatem impugnant, complexuri ipsam non sint, si quomodocunque a se impetrare illius persuasionem possint. Videlicet eius spes nisi inuitis non excidit ; ac NATVRÆ PONDVS eiusmodi est, ut, quantumvis se in inducenda opinione opposita veluti obfirmem, suspicionem tamen penitus exuere, ac syntheses deponere non possint.*

§. XXIII.

a) *ibid.* locus totus conferri meretur.

b) *lib. IV. cap. II. §. 1.*

c) *phys. scilicet. III. membr. post. lib. XIV. p. m. 630. seqq.*

## §. XXIII.

Peculiari ratione rem eandem inculcavit PETRVS POIRETVS, cuius hæc, inter alia, sunt verba: a) Porro, quenam illa cupiditas, menti essentialis et centralissima? Supponimus præter DEI essentialia mera, præterque mentem cupidam, ad DEI essentialia mera representanda et DEO sistenda, nihil aliud, ne idealiter quidem, concipi et existere. Quia DEVS se ipsum, ens perfectissimum et infinitum, cupit, quo ibi adquiescat; consequitur inde, mentis (que non pro se ipsa, sed pro DEO representando, facta est) cupiditatem, essentialiter et intime eius nature et constitutionis esse debere, ut cupida sit infinitæ et perfectissimæ lucis et adquiescentiæ, siue lætitiæ: quæ vero quum DEVS ipse sit, nec nisi a DEI possessione venire possit, mens autem necdum noscat et possideat evidentius et distinctius, sequitur, centrale punctum essentie et nature mentis in hoc consistere, quod sit cogitatio cupida generalius infinitæ lucis et adquiescentiæ; adeoque et DEI in se admittendi et sentiendi infinite, sed confusius et indistinctius. In quibus, si durius quædam, vel saltim obscurius dicta videantur, quæ nunc excutere non licet: nobis interim, desiderium animæ infinitum et essentialia adferri, satis est. Sed et, quum illi LEIBNITIO monades omnes obscura quadam ratione niti ad infinitum vise sunt b) hoc eatenus tantum trahi potest in sententiam nostram, quatenus pertinet ad animas, quæ hoc nomine comprehenduntur. Huic interim subiungimus M. PHILAGRIVM LE ROY, R. focium Sorbonicum, qui c) sequentia commentatur de argumento nostro: Sicut calor in nobis semper ad coelum ire vult, quamvis hanc vitam elegerit: ita hominis anima semper ad DEVM contendit, licet a superadditis huius vitæ negotiis videatur oblita in cognitione addita, non tamen in abdita. At in abditissima in DE-

D 3

VM

a) in cogitationibus rationalibus de Deo, anima et malo, discurs. preliminar. §. 22. p. m. 12.

b) in monadolog. §. 61.

c) in philosophia radicali eclectica tr. XXV. §. 20. p. 361.

*VM cuncta anhelant cupiuntque redire : quoniam cuncta adpetunt immortalem vitam et infinitam, extensivæ; intensivæ et ampliativæ, quod (quæ) DEVS est qui propter hoc omnia ad sui amorem conuertit, vt D. Dyonyf cum S. Thoma non semel docent.*

## §. XXIII.

Sed ne SPINOZA quidem infinitum animæ humanæ desiderium negare ausus est: quin potius disertè scribit: a) *Amor DEI intellectualis, qui ex tertio cognitionis genere oritur, est æternus, idque ex eo demonstrasse sibi videtur, quod, quum tertium cognitionis genus, quod vocat, sit æternum, amor etiam, qui ex eodem oriatur, æternus esse debeat. Quamquam mox quod altera manu posuerat, altera destruere videtur; Si ad hominum communem opinionem attendamus, inquiens, videbimus, eos sue mentis æternitatis esse quidem conscios; sed ipsos eandem cum duratione confundere, eamque imaginationi, seu memoriæ, tribuere, quam post mortem remanere credunt. Neque enim æternitas intelligi potest sine duratione, cuius illa species est.*

## §. XXV.

Plura ex veteribus et recentioribus scriptoribus adduci possent testimonia, si necessitas postularet et temporis ratio permitteret. Ex iam allatis autem patet abunde, neque novum, neque *παρδοξον* esse, quod adseruimus. Immo vero, quum res non solum experientiæ sit obuia, sed et ex ipsa ratione et natura animæ sequatur manifeste, ceterum in diuinis litteris quoque adseratur, et omnis generis scriptoribus sit in confesso: non leuia profecto haberi debent, quæ illi pro demonstranda existentia DEI, immortalitate animæ, aliisque huius generis, superstruuntur argumenta. Quæ dum deducere in præsentem non licet, DEVM O. M. veneramur supplices, vt omnia studia omnesque curas nostras dirigat et adiuuet ad sui sanctissimi Nominis gloriam, quo tandem in Ipso et per Ipsum consequamur desiderii nostri naturalis

## F I N E M.

a) *ethic part. V. propos. XXX. p. 256. seq.*  
 b) *in schol. ad propos. XXXIV.*



DOCTISSIMO PRAESTANTISSIMOQUE  
IUVENI

IOANNI MATTHIAE  
RITTERO

S. P. D.


IO. FRANC. BVDDEVS.

**N**on omnibus ea contingit felicitas, ut & meliores, & doctiores ex academiis domum redeant. Quibus autem non contingit, iis nihil relictum est aliud, quam ut suam ipsimet aut ignaviam accusent, aut imprudentiam. Patet in academiis, omnibus ad eruditionem pariter ac sapientiam & virtutem  
adi-


aditus ; nec per Numinis gratiam apud nos  
occafio & in litteris, & in moribus homine  
christiano dignis, proficiendi, vlli deest. Qui  
ergo non proficiunt, habent, quod sibi im-  
putent, si pro thesauro carbones, pro sapientia  
stultitiam, pro virtute mentem vitiorum sor-  
dibus commaculatam secum referant. Te au-  
tem, mi RITTERE, cum ex illorum numero  
esse constet, qui recte, quid in academiis sibi  
agendum sit, ponderant, idque non tantum  
omnes illi, quibus innotuisti testentur, sed haec  
ipsa dissertatio, luculentum ingenij & industriae  
Tuae specimen exhibens, demonstret, iustis-  
simas & Tibi, & cumprimis maxime re-  
uerendo PARENTI TVO, viro de ecclesia & re  
litteraria praeclare merito, gratulandi habeo  
causas. Deum quoque supplex veneror, vt  
quae porro suscepturus es, prospere & ex animi  
sententia Tibi cedere iubeat. Vale.

Scribebam Ienae die XV. Sept.

M DCC XXVI.







Numinis gratiam apud nos  
 teris, & in moribus homine  
 proficiendi, vlli deest. Qui  
 unt, habent, quod sibi im-  
 esauo carbones, pro sapientia  
 virtute mentem vitiorum sor-  
 atam secum referant. Te au-  
 E, cum ex illorum numero  
 recte, quid in academiis sibi  
 onderant, idque non tantum  
 us innotuisti testentur, sed haec  
 aculentum ingenij & industriae  
 exhibens, demonstret, iustis-  
 & cumprimis maxime re-  
 I TVO, viro de ecclesia & re  
 re merito, gratulandi habeo  
 quoque supplex veneror, vt  
 oturus es, prospere & ex animi  
 dere iubeat. Vale.  
 a Ienae die XV. Sept.  
 M DCC XXVI.

